



# NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXI.  
DIE XXIX. OCTOBRIS.



*Roma, a. d. 2. Octob.*  
Hesterno die *Albanus* purpuratus, nomine Imperatoris Romanorum, cuius hec agit partes, Pontificem adiit, atque aliquot legionibus, e Germania in regnum Neapolitanum abituris, liberum per Prouincias, quæ Pontifici parent, transitum obtinuit. Ante aliquot dies, ad Venetorum oratorem cursor *Hydrunto* venit, qui protinus ab eo ablegatus fuit ad Venetos, ut eos moneret de rebus, quas Turcæ hoc tempore moliri, & clanculum contra illorum Rem. destinare videntur. Beneficium, quod morte *Boscetti*, comitis Ferraræ cœperat vacare, Pontificis auspiciis *Marco Antonio Contio* eius cognato tributum est, vnde

illi quotannis nongentos circiter scutatos redituros, existimant. Abbas, *Josephus Antonius Cerpasius*, qui suppositis litteris, ut dicuntur, *cambialibus*, in fraudis suspicionem venit, non prius e custodia, qua per aliquod tempus detinetur, abire poterit liber, quam creditoribus abunde fecerit satis.

*Auenione, a. d. 2. Octob.* Etiam si nihil pestiferæ luis, quæ circum circa vehementer sæuit, in hanc urbem irrepsisse, & febribus tantum fuisse correptos, credideramus, si qui forte mortiferis apud nos morbis decubuerint; attamen experientia, proh dolor! nunc aliud sumus edocti, posteaquam e tribus, quatuorue amplissimis familiis, ne vnus quidem superest, qui tam horrendæ luis effugere potuit impetum. Illud autem miserabile admodum auditu est, quod  
lingua



singulis diebus vesperi ære tinnulo admoneantur vr̄bis incolæ, vt a fenestris, quæ plateas prospiciunt, discedant, oculosque auertant a cadaueribus, extra vr̄bis portas efferendis, sepeliendisque. Legatus vicarius, & archiepiscopus, quilibet pestilentie metu, in suum se recepit palatium. Consules autem, relicta curia, in cuius inferiore parte malignæ luis animadverterant vestigia, in ædibus primarii consulis congregari solent. Id vero vim mali quotidie augere videtur, quod rebus ad vitam sustentandam pertinentibus destituimur, & magna pauperum copia inuenitur in vr̄be, quibus alendis tantillum annonæ, qua instructi sumus, minus sufficiet.

*Lutetia Parisiorum, a. d. 1. Octob.* Magnus equitum Melitensium magister, Langeronio equiti, qui tempore, quo Massilia vexabatur pestilentia, ei vr̄bi præfectus, res præclare gesserat, auream crucem, qua vti solent equites Melitenses, dono misit, scriptisque eam in rem litteris, suum illi animum testatus est. Posteaquam certior fama de regis connubio in hanc vr̄bem adlata fuit, complures suppliciter adierunt ducem Aurelianensem, multisque rogauerunt precibus, vt in illorum censeantur numero, qui regie sponsæ, ex Hispania aduenienti, deinceps seruiant. Neminem autem facile aliquid muneris consequuntur existimant, ante nouæ nuptæ aduentum, & præ ceteris eorum habitum iri, credunt, rationem, qui olim in Delphini coniugis, & ducis Bituricensis, ante aliquod tempus mortuæ, familiam adscripti fuerunt. Albinus Abbas, qui fratrem rerum bellicarum procuratorem habet, dignitate episcopi Sarlatensis in prouincia Petricorensi ornatus est. Episcopi, qui re-

pu diata *Constitutione Unigenitus*, ad concilium, vt dicitur, nationale prouocauerunt, aliquoties hoc tempore congregati fuere, vt, si forte Pontifex in ea, quam amplexus est, sententia persisteret, *systema* tamen, quo potiora doctrinæ suæ capita exposuerunt, aliqua ex parte defenderent; quod vbi ad aures peruenit Aurelianensis, ille statim ab eiusmodi consiliis, conuentibusque eos desistere, & domum abire iussit. Decem, & duo millia hominum restaurandis Clarmontii mœnibus destinata fuisse, aiunt, quorum etiam opera prouideri debet, vt ne quid mala lue infectum ad eam vr̄bem accedere queat.

*Alia ex eadem vr̄be, a. d. 4. Octob.* Nuntius, Mantua Carpetanorum missus, regi ac duci Aurelianensi venit, qui ad vtrumque adtulit litteras, quibus *Philippus* Hispaniæ rex filio suo, principi Austriæ, Montpensieriam, Aurelianensis filiam petit in matrimonium. Id quoque non modo ratum protinus habuit rex, sed etiam *Fario marchioni* negotium dedit, vt quam primum abiret Mantuam Carpetanorum, & Hispaniæ regi, de perauspicato filii connubio, gratularetur. a. d. 4. huius mensis, dux *S. Simonis*, prout nuper commemorauimus, iter Hispaniam versus ingreditur, & futuro Januarii mense paruulam sponsam ad regem adducet. Vt autem omnia in hac legatione, quam splendidissime fierent, rex ei tercentena millia librarum Gallicarum decreuit, quibus dux *S. Simonis* quatercentena millia adiiciet, & nihil temere omittet, quod ad augendam tam solemnis legationis magnificentiam facere possit. Bissium purpuratum, breui in vr̄be videbimus reducem, vtpote qui a. d. 6. Oct. Roma abibit, rerumque a se gestarum rationem regi axponet.

Dux



Dux *Mazarinius* iam denuo se recepit in palatium, quod societatis Indicæ conuentibus huc vsque dicatum fuerat. Quamquam initio Episcopus Forojulienſis, qui ætate admodum grandis eſt, vix adduci poſſe videretur, vt Archiepiſcopi Remenſis munus ſuſciperet; nihilominus tamen ſe nunc perſuaderi ad id paſſus eſt a rege, qui permultum illi tribuit, & vel repugnanti contulit dignitatem, quam alii ſummopere preſauerant. Dux *Luxenburgicus*, graui & periculoſo implicitus morbo in hac vrbe decumbit. Rex, & dux vidua Aurelianenſis, tres ducis Aurelianenſis, qui Galliæ regnum adminiſtrat, filias. e ſacro fonte, quo nondum adperſæ ſunt, ſolemni cærimonia propediem ſuſcipient.

*Olyſippone*, a. d. 9. *Sept.* Nudius abhinc tertius, natalem reginæ ſolamniter atque pompa, quam fieri potuit maxima, concelebrauimus: ingreſſa ea eſt annum ætatis trigeſimum octauum. Die 3. & 4. certamen, quod cum tauris inſtitui ſolet, præſente tota domo regia, omnibus aulæ proceribus, vt & maxima vulgi frequentia, celebrari cœpit, per ſingulas hebdomades, binis vicibus inſtituendum.

*Madritti*, a. d. 23. *Octob.* In ſeceſſu *Balfainienſi* ſolemnis inſtituta eſt ſupplicatio, in æde *B. Virgini Mariæ* dicata, ſœderis matrimonialis cauſſa, quod Principis *Aſturix*, iniiit; heſterna vero die, tota vrbs noſtra feſtiuis collucebat ignibus, præter quos, & alia lætitiæ ſigna paſſim ſunt obſeruata.

*Londini*, a. d. 2. *Octob.* Superiori mercurii die, cursor, præter ordinem, *Parifiſ* huc miſſus acceſſit, tabulasque adtulit, in quibus continentur, quæ ad fideiuſſoriam obligationem Gallix, atque Magnæ Britannix regum, perti-

nent, & renunciationem illam Imperatoris Rom. atque Hispaniarum regis concernunt; qua ille quidem huic regnis Hispanicis; hic autem illi belgicis Italicisque ceſſit in perpetuum. Acceſſit & alius cursor, cum conditionibus pacis inter Sueones, atque Ruſſos nuper admodum conciliatæ. Episcopus *Dunelmensis*, ante hos 5. dies e vita exceſſit, cum vixiſſet annos octoginta octo. Femina quædam *Langwortia*, quæ 1600. libras Sterlingicas, quas poſſidebat, in ærarium ſocietatis *Auſtri* poſuerat, poſtquam intellexit, iacturam ſe vniuerſæ huius pecuniæ feciſſe, mente lapſa, ex ſuperiori ædium parte ſe præcipitauit, animamque mox reddidit: filia eius, quam vnicam reliquit, mentis quoque impoſeſt. Pari modo vir quidam nobilis, propter amiſſas pecunias ſuas, in furorem actus, cultello ſibi gulam præſcindere conatus eſt; ſperant tamen chirurgi, vulnus, quod ſibi infixit, ſanari poſſe.

*Alia indidem*, a. d. 2. *Octob.* *Iohannes Lawius*, quem hic anxie multi exſpectant, modum oſtenſurus dicitur, qua ratione res ſocietatis *Auſtri*, & publica nationis comoda, promoueri poſſint. Mandata iam quoquo verſus miſſa ſunt, vt ſimulac claiſis, quæ in mari *Baltico* fuerat, redierit, omnes milites nautici, exſoluto prius ſtipendio, exauctorentur, & ad ſuos dimittantur.

*Vienna*, a. d. 22. *Octob.* Quem nuper in locum Principis *Lichtenſteinii* ſurrogatum nuntiabamus, *Celiſſimum Principem*, *Iohannem Leopoldum Donatum Trautſohnium*, eum Imperator *Augustus*, poſtquam ei iureiurando fidem ſuam confirmaret, per *Comitem Sigismundum Rudolphum Sintzendorffium*, S. R. Impetii Theſaurarium vniuerſis aulæ ſuæ Proceribus præficiendum, atque



que ritu solemni inaugurandum curavit.

*Alia, a. d. 25. Octob.* Superiori die *Mercurii* natalis tum *Archiducis Maria Amalia*, filiae optimi quondam Imperatoris Iosephi filiae, tum etiam Portugalliae regis, ex more adulto solemniter in aula Caesarea celebratus est. Eadem hac die Legatus Regis Daniae extra ordinem missus *Nobiliss. Reichzeinius* ad aulam Imperatoriam accessit. Die 18. huius mensis Imperator Augustus *Comitem Adamum Wenceslaum Patschinkyum*, sanctiori consilio adscripsit, ad quam dignitatem iam olim ab Imperatore *Leopoldo* evectus fuerat. Hodie tum in vrbe hac, clausis omnibus portis, tum in suburbiis, quae vallo cincta sunt, omnes, siue incolae, siue peregrini, quam diligentissime conscribebantur, notato cuiusque statu ac conditione.

*Ex Comitatu Aruensi, a. d. 20. Octob.* Ea hic per aliquot dies obtinuit tempestas, ut segetes passim, avenam cum primis, niuibus obrutas videas: quod quidem inter praecipuas, quibus premimur, calamitates, iure meritoque referimus; maxime quod plebs promiscua, & cum vilitas annonae obtinet, pane vesci consuevit avenaceo. Idem & in Comitatu, nobis vicino Liptouienfi euenisse audimus, tametsi non frequentibus adeo locis.

*Cremnitzii, a. d. 24. Octob.* Messis in agro nostro, locis potissimum editioribus nondum penitus consummari potuit, operas, quin & segetum maturitatem, frigidiore aura, sufflaminante. Diebus praeteritis, metallicorum non nemo, cum in fodina venas scrutaretur,

terra decidua obrutus fuit: in qua ille calamitate, septendecim horas, viuis perduravit, dum a fociis terram studiosissime amolientibus ex specu illa protraheretur. Noxam is quidem exstantiorem accepit nullam, praeterquam quod ex diuturniore labore, quo in apricum prodire nitebatur, vngues pene omnes detriuerit, totoque corpore languorem vix ac ne vix quidem exsuperabilem, contraxerit.

*Posonii, a. d. 29. Octob.* Simul ac conuentus, tributorum causa indictus, ex animi sententia finitus fuerit, *Excelsam Commissionem*, quae *Pestbini* antehac coierat, in vrbe nostra continuatum incertum est: eo enim sine hospitia, quibus *Illustriss. Commissarii* commode accipiantur, magistratui imperata iam sunt. Eandem vero hanc *commissionem*, excipiet alia, eo fine ab Augusto Caesare instituta, ut compillato iam *Systemate Iuridico*, aliud, *Politico-Militare-Oeconomicum*, sollicitissime concinnetur. Praesidebit huius operis *Eminent. Cardinalis Emericus Csúky, Archiepiscopus Colotsens.* Ceteri *Commissarii*, quibus partes has mandatas esse ferunt, sequentes sunt: *Excellentiss. Comes Stephanus Koháry, Iudex Curiae Regiae; Illustriss. Comes; Alexander Karoly; Illustriss. Comes Casparus Eszterházy; Magnif. Baro Casparus Sándor; Reuerendiss. Iohannes Kis Episcopus Ansariensis; Perillust. Franciscus Szluha Protonotarius; Paulus Ráday; Andreas Török; Andreas Szirmay; Paulus Prileczky; Gabriel Skaritz.* Alioquin vindemia continuatur adhuc, tempestate pro annihilatione, non plane existente incommoda.